ex libera donatione quondam D. Conradi Archiepiscopi Colonien. ad Metropolitanam Ecclesiam Nostram pertineat et illa parochialis Ecclesia hoc tempore per haereticos pastores ex intentione Domini in Odenkirchen administretur imo vero pastore careat, Ideo ne parochiani istius loci parochiali cura cum periculis animae Suae destituantur, honorabilem D. Joannem Eller praesbyterum Coloniensis Dioecesis tamquam habilem et Idoneum ad talem parochialem Ecclesiam praedicto vel alio quocunque modo Vacantem omni meliori quo possumus modo, Via, jure et Causa in Dei nomine dicimus nominandum Seu praesentandum et nominamus seu praesentamus per praesentes ac petimus, quatenus Reverentia Vestra Dictum Joannem Eller praesbyterum praesentatum Seu ejusdem legitimum procuratorem ad praedictam parochialem Ecclesiam in Odenkirchen admittere ipsumque de eadem investire et providere dignemini, facientes ipsi de omnibus fructibus obventionibus emolumentis pertinentys et attinentys plenarie et integre responderi, adhibitis ad hoc debitis et consuetis Solemnitatibus in quorum omnium fidem et testimonium Desuper has litteras fieri ac nostri Capituli Secreto Sigillo muniri curavimus. Datum et actum Coloniae in domo nostra Capitulari anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millessimo quingentesimo nonagesimo nono, decima octava Die mensis Juny.

Conceptum Seu Copiam antiquam supra scriptae Collationis in minori Archivio Illmi Capituli Metropolitani reperiri attestor ego qui infra

Gerh. Rensing D. Capituli Metropolitani Sindicus Et Secretatius mppr.

Ernennung des Clerikers Winterich, bisher in Brühl, zum Pfarrer von Odenkirchen.

Bonn, den 10. Mai 1627.

Ferdinandus etc. Devote nobis dilecto Winterich, clerico dioecesis Coloniensis salutem in Domino. Cum vacante ecclesia parochiali in Odenkirchen tu a moderno Metropolitanae Ecclesiae nostrae Coloniensis Decano, utpote cui jus patronatus ibidem competit, ad eandem Nobis praesentatus, insuperque de doctrina, probitate, vitae morumque integritate commendatus existas; Hinc tibi ad hanc gratiam faciendam redditi liberales, Tibi dictam parochialem ecclesiam in Odenkirchen Dei prae-

cipue et praefatorum tuorum meritorum intuitu conferendam duximus, prout tibi eandem conferimus, teque praesentium tenore in Dei nomine de eadem investimus, cum omnibus Ejusdem fructibus, juribus, redditibus et emolumentis, curam animarum tibi distincte committentes, Omnibus et singulis Presbyteris, Notarys et Sabellonibus publicis, praecipue vero Nostris ad id speciale deputatis Commissarys mandantes, quatenus te in dictae parochialis Ecclesiae in Odenkirchen possessionem realem et actualem inducant inductumque defendant, Tibique de universis et singulis fructibus, redditibus, Juribus, proventionibus et emolumentis Ejusdem integre responderi faciant, amoto exinde quolibet detentore illegitimo. In cujus fidem etc. Datum Bonnae 11. May Anno 1627.

Schreiben des Pastors Winterich an den Generalvicar Johannes Gelenius.

Vom 21. Juni 1627.

(Das Schreiben enthält bittere Klagen des Pastors über die vielen, ihm und seinen Pfarrkindern seitens der Protestanten bereiteten Unannehmlichkeiten, und berichtet über Unterhandlungen, welche er zur Herstellung des Friedens mit dem Präfekten u. A. gepflogen habe)

Statum ecclesiae parochialis in Odenkirchen Reverendissimae Dominationi Vestrae citius perscribere non potui, quia in itinere praeter opinionem meam diutius detentus fui; literas die Sabbati R. D. Clatz misi, qui jam mihi adest, uti et praefectus, qui ambo aureos promittunt montes, non mihi tantum, sed et plebi, quae omnia contemnere incipit et alio ad conciones turmatim currere, nec non et illos, qui divinis interfuerunt, adeo contumeliosis publice verbis tractare, ut vix audeant templum intrare. Quod ad praedicantem attinet, certum est, quod in arce bis publice praedicaverit, et aliquos, inter quos etiam Menghen, graviter exceperit ob visitationem Ecclesiae; filii et filiae ejus ex fenestris observant et denotant, quod oculis meis vidi, intrantes et exeuntes e templo et nisi Serenissimus aliud statuat, fructus nullus spectari potest.

Plura ex bene noto brevi Reverendissima Dominatio Vestra intelliget. Datum Odenkirchen 21. Junii 1627.